UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiqvitatibvs Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm XVI. Ad pag. XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

Visual Library

pluviarum & ventorum, ad Maximum Margynium Cytheræ Epiſcopum in hæc verba eſt præfatus. *In infelici illa Græcia, quæ barbaries! quæ ignavia! Felix illa ingeniorum mater & altrix, quæ literas omnibus pene populis tradidit miſerè devaſtata, barbarorum mores legesq; ſuſcepit: literas autem non amiſit modò, verùm & illam cæli temperiem, quæ vetera producebat ingenia, infeliciſſimam experitur. Itaq; Athenis ipſis, imò in Athenarum ruderibus atq; reliquiis, vix invenias qui nôrit legere: in tota Græcia pecudes verius eſſe dicas quàm homines. Ac fuit ſane tempus, cum ſub priſcorum Palæologorum auſpiciis in Peloponneſo, ubi maxima fuit illorum Principum auctoritas, ceperunt literæ revireſcere. At Byzantio capto, Peloponneſiq; urbibus & captis & dirutis, eandem & illa infelicitatem experta eſt quàm reliqua Græcia.*

SVPPLEMENTVM XVI.

Ad pag. xxII.

IN hiſce literis quondam maximus Thomas Reineſius *l. 3. variar. lection. c. XI* Olympii Archiatri facta mentione, ita ſcribit pag. 519: *Iſte quod Conſtantinopoli artes profiteretur (hoc autem erat archiatrorum) Sophiſta vocatur ab Aëtio tetr. 3. ſect. 3. cap. 29. eiq; tribuitur compoſitio quædam ad veſicam exulceratam.* Verùm videtur eorum oblitus quæ paulò ante & recte quidem de Archiatrorum officio præmiſerat. Et verò artem medicam facere Archiatri eſt, non autem docere. Nec inter Conſtantinopolitanos Profeſſores receptum quenquam qui Artem medicam docuerit, liquidum eſt ex iis quæ adduximus Codicis verbis. Sophiſta igitur qui Aëtio audit Olympius, aut alius fuit ab illo Archiatro, aut etiam ille docuit Artem Medicam Alexandriæ: qui unus locus ſcholam habuit quondam ſub Cæſaribus Medicæ arti conſecratam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN